


**05**

**A**

**491**



I

M

M

CO



DISPUTATIO THEOLOGICA  
INAUGURALIS

*De*

DISSIMILITUDINE  
ORTUS NOSTRI ET  
CHRISTI HOMINIS,

*QUAM*

AUXILIANTE DEO OPT. MAX.

*SUB PRÆSIDIO*

MICHAELIS WALTHERI  
S. THEOL. DOCT. ET PROFESS.  
PUBLICI,

*PRO SUPREMO IN THEOLOGIA GRADU  
CAPESSENDO*

AD DIEM VII. OCTOBR.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS,

*PUBLICE TUEBITUR*

M. JOH. DAVID SCHWERTNERUS  
LIPSIENSIS,  
ECCLESIAE TORGAVIENSIS  
ARCHIDIACONUS.



*WITTEMBERGÆ,*

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XC.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
IN ANAGRAMMIS

De

DISSIMILITUDINE  
ORTUS NOSTRI ET  
CHRISTI HOMINIS.

ON AM

ALXIANAM DEO OPT. MAX.



MICHAELIS ET PROFESS.

PUBLICI,

PRO SUPREMO IN THEOLOGIA GRADU

194 A 491

AD DIEM VIL OCTOBR.

NORIS ANTE ET POMERIDIANIS,

THEATR. THEATR.

M. JOH. DAVID SCHWERTNER

LIPSIENSIS,

ECCLÉSIE TORGAVIENSIS

ARCHIDIACONUS.

WITTE WITTE

Typ. MATTHIENCKI in Lipsia.

Anno MDCXC.





## THESIS I.

**V**i post Jacobum Arminium, veritate aliquatenus superatum, vitaq; functum, non procul ab initio vertentis seculi, datis ad Ordines Hollandiæ & Westfrisiæ literis, multa in Belgio doceri publicè, conqverebantur Ministri Pastoresqve, perturbatæ religionis, & novorum motuum causâ, in suspicionem adducti, quæ cum recepta Confessione, & Catechesi non modò non consentirent, verùm etiam cum verbo Dei apertè pugnarent; inter quinque erroris capita adversariis suis objiciebant, rectèq; vertebant vitio, quòd contra tot sacrarum literarum testimonia, non erubuissent statuere, Spiritum Sanctum in hominibus, ad vitam æternam electis, cum tanta gratiæ vi operari, ac agere, ut non possint resistere, quin convertantur, & credant, sempiternamqve salutem obtineant, ac consequantur. Suam verò, oppositamqve sententiam explicaturi, gratiam Dei ajebant esse principium, progressum & complementum omnis boni: adeò ut ne ipse quidem regenitus absqve præcedente, sive præveniente ista, excitante, prosequente, & cooperante gratia, bonum cogitare, velle, aut peragere possit, ullisve ad malum tentationibus resistere: ita ut omnia bona opera, actionesqve, quas quis cogitando potest assequi, gratia Dei in Christo adscribendæ sint. Cæterùm quòd ad modum operationis ejus gratiæ attineret, non esse illum irresistibilem, quandoquidem scriptum esset de multis, quòd Spiritui Sancto resisterint,

runt, Act. VII, si. & alibi locis compluribus. His à supplicibus literis, Remonstrantiæ titulo oblatis, Remonstrantium; parti adversæ à suo, istisqve opposito libello, Contra Remonstrantium nomen, discriminis causâ, cedit. Qui etsi in Collatione Hagiensi, sibi affingi dicerent, quæ docere nunquam induxissent animum, vocabuloq; à quo libenter abstinerent, irresistibilis gratiæ ludi, & statum quæstionis neque rectè, neque manifestè proponi: tamen post multam variamqve disceptationem, ostenderunt Remonstrantes, ab Ordinibus jussi, manere in controversia, quod hîc subjicimus. An gratia illa, quâ Deus fidem & conversionem in homine operatur, sit actio ineluctabilis & irresistibilis, per quam Deus vivificum Spiritum & fidem tantavi infundat, quanta utitur ad excitandum cadaver ex morte corporali, adeò ut homo simulatq; infusio illa sit, non possit non credere & converti; quam vim Deus circa alios nullos usurpet, quam quos ita juxta decretum suæ electionis ineluctabiliter & irresistibiliter velit convertere, quid idcirco etiam re ipsa convertantur: an verò alia potius sit gratiosæ illius operationis ratio, quæ quidem satis sit sufficiens ad efficiendam in homine fidem & conversionem, sed non sit tamen per infusionem istiusmodi ineluctabilem atqve irresistibilem; ac proinde non obtingat iis solis, qui re ipsa, hoc est, ipso actu convertuntur, sed etiam aliis multis, qui quia gratiæ resistunt, re ipsa quoque non convertuntur? Videantur Scripta Adversaria Collationis Hagiensis, quæ ex Belgicis Latina fecit Petrus Bertius, pag. 8. 9. 22. 205. 206. 214. 224. 256. 257. & novi ordinis p. 148. Addaturq; Appendix Pressioris Declarationis, p. 61. ff. & Gvilielmi Amesii Coronis ad Collationem Hagiensem, Artic. IV. Cap. I. p. 167. ff. nec non Festi Hommii Specimen Controversiarum Belgicarum, Artic. XIV. p. 44. ff.

**II.** Igitur in Synodo Dordracena perrexerunt Remonstrantes in oppugnanda gratia irresistibili, expositione sententiæ suæ, circa Articulum Tertium & Quartum de gratia Dei, & conversione hominis, sequentibus verbis usi, in thesi quinta. *Gratia efficax, qua quis convertitur, non est irresistibilis, & licet ita voluntatem afficiat verbo & Spiritus sui operatione interna Deus, ut & potentiam credendi, sive vires supernaturales conferat, & hominem actu credere faciat: tamen potuit homo ex se gratiam istam aspernari, & non credere, eoque etiam suam culpam perire.* Vid. Acta Synodi Nationalis, auctoritate Ordinum publicata, parte I. p. 130. Acta; & Scripta Synodalia Ministrorum Remonstrantium Historica, p. 75. Hæc propositio etsi varia sustinuit judicia, Contra Remonstrantibus sese in formas varias flectentibus: tamen accurata sententiarum comparatio docet, etiam omisis vocibus, resistibilis & irresistibilis gratiæ, in disceptatione relinqui: An homo, cum Deus seriò vult ut credat & convertatur, possit nolle credere & converti? Et Remonstrantes quidem affirmativam tenere; Contra Remonstrantes verò negativam tueri, atque defendere. Quod istis denuò observatum est, in Scriptis Dogmaticis, Artic. III. & IV. p. 58. seqv. In quam rem Deputati Ecclesiarum Drentanarum, in Examine & Judicio suo de Tertio & Quarto Remonstrantium Articulis, Thesi XII. Parte III. Actorum, p. 300. & 301. tandem ad conversionem Pauli, & incredulitatem Judæ proditoris se recipiunt, ut evincant, quorundam saltem regenerationem esse irresistibilem, & Deum pro absoluto suo jure, æquales interdum tractare inæqualiter. Sed ipsi diffidentes argumento suo, mox ita disserunt. *Quod si Remonstrantes hisce rationibus cedere, & à suo resistibilitatis dogmate per hoc exemplum recedere voluerint, arctius aliis exemplis constringi*

possunt: cum primis exemplo Christi hominis? Fuit enim is nobis quoad ortum æqualis, Hebr. II, 17. fuit massa corrupta Adamica particula, quippe Semen mulieris, Gen. III, 15. Semen Abrahæ, Gen. XXII, 18. Nihil in ipso Deus potuit prævidere, nisi quod per meram suam gratiam in vas illud effundere pro beneplacito suo voluit: non minùs tamen decreto eterno istam partem à reliqua perditam massa discrevit, inde à prima conceptione sanctificavit, Luc. I, 35. voluntatemq̃, quæ tantùm ad bonum erat libera, largitus est; ita ut per omnem vitam ne minima peccati labe impuratus unquam fuerit. Job. IIX, 46. Quid hic jam Remonstrantes dicant? Christum truncum esse? trahi, cogi, rapi ad bonum? moveri, sicut puella pupas suas movere solent? Apage. Audiant Augustinum &c. — Cum itaq̃ resistibilitatis dogma, Doctrinæ & Patrum & Dei ipsius resistat, æquum est, ut eidem tanquam novo, vano & Pelagiano commento Ecclesia Belgica vicissim resistat, ab eoq̃ in totum desistat.

III. Ego quidem, quanti ponderis sit ista argumentatio, in præsentis non dicam, nec controversiam de gratia conversionis pertractabo. Quæ verò ea occasione de Christo homine, ejusdemq̃ve ortu à Drentanis ministris prolata sunt, hac exercitatione dijudicanda sumam, strictimq̃ve ac breviter, quæ afferenda esse videbuntur, Deo fortunante, absolvam. Principiò itaq̃ve Christus, Mediator inter Deum & homines, etsi nostra totiusq̃ve mundi peccata sibi à Deo Patre imputari passus est, Es. LIII, 6. Joh. I, 29. 2. Cor. V, 21. atq̃ve hoc sensu peccatorum maximus à piis veteribus dici solet: tamen per se consideratus omni peccato caruit, ac sanctus fuit, Joh. IIX, 46. 2. Cor. cit. 1. Petr. II, 22. Hebr. IV, 15. VII, 26. Sanctus divinitate essentialiter, ipsaq̃ve sanctitas: sanctus humanitate, ipsaq̃ve  
na-



natura ejus humana sancta, non tantum personaliter, ob  
communicatam sanctitatem divinam; sed etiam habitua-  
liter, inhærente sanctitate finitâ. Quamvis enim Chri-  
stus homo exinanitus, quoad infirmitates naturales, & in-  
culpabiles, libereque assumtas, esset ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς  
ἁμαρτίας, Rom. IIX, 3: tamen sine peccato fuit, Hebr. cit.  
Ut serpens æneus quondam similis serpentibus venenatis,  
sed absque veneno, Joh. III, 14. Num. XXI, 9. Ac inhæsi-  
videm humanitas, vel caro Christi sancta fuit à prima ori-  
gine, ratione durationis, hoc est, à primo momento existen-  
tiæ suæ, quam accepit in conceptione Christi, perque omnem  
vitam Christi, & sic porrò. Quod utrinque est in confesso.  
Num autem etiam ratione causalitatis, de eo disquiritur.  
Nobis equidem singularis origo humanitatis Christi, post  
purificationem massæ sanguineæ Mariæ virginis, à Spiritu  
Sancto concepti, causa est sanctitatis inhærentis. Quæ verò  
Drentanorum opinio sit, antea diximus: Christum ho-  
minem nobis quoad ortum fuisse æqualem, & massæ cor-  
ruptæ Adamicæ particulam, nec Deum in Christo homi-  
ne quicquam prævidere potuisse, nisi quod per meram su-  
am gratiam in vas illud effundere pro beneplacito voluit;  
non minus tamen decreto æterno istam partem à reliqua  
massa perdita discrevisse, indeque à prima conceptione san-  
ctificavisse &c. Ad quæ rectius intelligenda, vocandus  
mihi in partes est Gisbertus Voëtius, qui rem latius expli-  
cat, Disputatione de Propagatione Peccati Originalis, quæ  
selectarum parte primâ habetur, à p. 1078. ad p. 1119. Disqui-  
rit ille problemate tertio p. 1113. An & quomodo Christus  
fuerit, & non fuerit in Adamo, ita ut à peccato originali  
imputato, & inhærente immunis fuerit? Et respondendo  
pro-

profert, quæ huc maximè faciunt. Verba non libet describere, quia multa sunt. Mittam autem in compendium sententiam exponentis. Qui arbitratur, omnes quidem homines alios, præter Christum, fuisse in Adamo non tantum originaliter, naturaliter, seminaliter, & radicaliter, tanquam in communi principio, & radice humani generis, ex cujus lumbis omnes homines longâ serie successivè orti sint; sed etiam moraliter, & fœderaliter, tanquam in principio, radice, & capite repræsentativo communi istius fœderis operum antiqui, quod Deus cum Adamo, capite fœderis, & confœderatis membris omnibus, ex ipso, ceu capite fœderis istius descendentibus, sanciverit ante lapsum, de obtinenda vita æterna per observationem Legis. Christum autem hominem fuisse in Adamo tantum originaliter, naturaliter, seminaliter, radicaliter: non moraliter, & fœderaliter. Id est, fuisse quidem Christum in Adamo, tanquam communi principio, & radice humani generis, ex cujus lumbis omnes homines orti sint, & inter eos David quoque, & ex Davide Christus, per interjectos majores: non autem fuisse Christum in Adamo, tanquam in communi principio, radice, & capite primi operum fœderis. Idque ideò, quia beneplacitum Dei, quod unicum fundamentum sit nostræ inclusionis, & reputationis in Adamo, tanquam communi principio, & capite fœderali, fuerit, ut Christus hoc modo in Adamo non esset. Per consequens reliquos homines, sicut in fœdere fuerunt, sic quoque transgressioni fœderis Adamiticæ, pœnisque eam concomitantibus, peccato originali, tum imputato, tum inhærenti, actualibusque inde orituris obnoxios, & iis contaminatos fuisse. Christum autem hominem, immunem à fœdere, immunem quoque fuisse à transgressione fœderis, & pœnis concomitantibus, peccatoque & originaliter

ginali, cum imputato, cum inhærente, & actualibus inde  
orituris. Causam igitur adæquatam immunitatis Chri-  
sti hominis à peccato originali & actualibus, inde orituris,  
non esse, quòd ex virgine per operationem Spiritus Sancti  
genitus est, præter ordinariam legem generationis carnalis;  
sed quia juxta beneplacitum Dei non fuerit in Adamo mo-  
raliter, & fœderaliter. Quod adeò verum esse existimat,  
ut si Deus alium aliquem hominem, præter communem  
ordinariamque generationis legem produceret, eum im-  
munem præstare nequeas à pœna peccati originalis, nisi  
probare possis, eum non fuisse in Adamo fœderaliter, im-  
munemque à fœdere, & transgressione fœderis. Sequitur  
autem inde omnes homines, si qui in Adamo naturaliter  
tantum & originaliter extitissent, nascituros fuisse absque  
labe originis.

IV. Quod ad conceptionem Christi ex Spiritu San-  
cto attinet, eam effectum, sive eventum tantummodò,  
aut ad summum, quoddam medium, vel conditionem ali-  
quam subordinatam explicare: ad primam verò radicem  
hujus immunitatis, ipsumque jus minimè assurgere, nec  
adæquatam causam esse, judicat Voëtius. In quo longi-  
us ab opinione Henrici Altingii discedit, qui in Theologia  
Problematica, Loco XII. Probl. IIX. p. 571. 572. de communi  
orthodoxaque, ut vocat, sententia, duplicem causam im-  
munitatis humanæ Christi naturæ à peccato originali po-  
nit. Proximam quidem, conceptionem ex Spiritu San-  
cto: remotam verò, non imputationem transgressionis A-  
dami; quòd licet in Adamo fuerit Christus, secundum hu-  
manam naturam, ut filius ejus, tamen non peccarit in A-  
damo. Circa quam causam Novatores Altingius notat,  
asserentes, Christum nullo modo fuisse in Adamo cum pec-  
caret, propterea, quòd quocunque modo dicatur fuisse, à  
B rea-

reatu peccati illius eximi non possit: coepisse autem esse in  
lumbis ipsius demum post lapsum, eoqve non participasse  
culpæ ipsius. Additâ ratione, quia genitus sit ex Adamo  
vi non communis benedictionis, Gen. I, 28. sed singula-  
ris promissionis, Gen. III, 15. Promissionem autem illam  
demum post lapsum editam fuisse. Hæc, inquit Altingius,  
summa est novæ opinionis. Etsi verò nominibus parcit:  
tamen quos pungat auctores, harum rerum periti facilè  
intelligunt. Inter Epistolas præstantium ac eruditorum  
virorum Ecclesiasticas & Theologicas, sexagesima sexta est  
Jacobi Arminii, ad Joannem Uyttenbogardum scripta,  
Lugduni Batavorum XXI. Decembr. cl. l. c. III. In qua ille  
de eadem re ad hunc modum f. 120. *Christum arbitror in  
lumbis Adami non fuisse extra peccatum considerati. Ut i-  
ta sentiam suadent quæ subjungo argumenta. In lumbis A-  
dami sic considerati nemo est, nisi vi istius benedictionis, cre-  
scite & multiplicamini. At Christus vi illius benedictionis  
non est productus, ne præter ordinem quidem administratæ,  
quod addo, propter Isaacum natum vi benedictionis istius  
præter ordinem administratæ. Sara enim sterilis & effœ-  
ta accepit divinitus vim ad concipiendum, vel potius ad se-  
minis emissionem, juxta id quod est Hebr. XI, 11. Qui fuit  
in lumbis Adami ante peccatum vi istius benedictionis pri-  
mæ, ille in Adamo peccavit, filiusq; iræ est naturâ & manci-  
pium peccati. Non solvit nodum istum distinctio activi &  
passivi principii, quo quis ex aliquo nasci dicitur: in lumbis  
enim esse notat principium activum, & qui ratione principii  
activi ex Adamo non est, ille non est ex illo vi benedi-  
ctionis primæ; ergo alterius & illius quidem quæ peccatum  
est insecuta. Distinctio illa inventa est à Scholasticis, ut  
Christum à peccato originis exemptum docerent. At non  
potest hoc per illam obtineri immediatè; potest autem si ex il-*  
la

la concludatur quod nos volumus, nempe Christum non fuisse in lumbis Adami vi benedictionis primæ; si enim tum in lumbis Adami non fuit, cum peccaret Adamus, non mirum quod peccato originis inquinatus non sit. — Inspiciatur ipsa conceptio Christi ejusque nativitas, & utrumque certo certius comprobabitur. Conceptus est ex spiritu Sancto, natus ex Maria virgine. At virgo non parit vi illius benedictionis primæ, sed hujus secundæ. Ex spiritu Sancto qui concipitur, non concipitur vi benedictionis primæ, sed vi secundæ, quæ administranda fuit à spiritu Sancto. Si homo persticisset in integritate, neque virgo peperisset, neque ex spiritu Sancto illa conceptio fuisset &c.

V. Hæc ibi Arminius. Non absimili ratione Simon Episcopus, in Lectionibus Sacris in Cap. II. & III. Apocal. Explicatione Epistolæ ad Ecclesiam Philadelphiensem, f. 533. Sic opponi posset. Quæ natura ab Adamo descendit, & quidem peccatore, aut in illo peccante fuit, illa saltem rea est criminis & culpæ ejusdem: proinde remissione peccati & culpæ indigens. Ubi enim culpæ communitio, ibi sanctitas esse nequit; imò ibi satisfactione pro culpa opus est. At pro propria ille (Christus) satisfacere non potuit, nec satisfecit. Itaque non remissa illa culpæ, & proinde non sancta natura. Difficilis in speciem objectio. Itaque respondendum. Supponi Christum in Adamo peccante fuisse. Hoc enim fatendum non est. Materia quidem ipsa remotè in Adamo fuit, sed non ut materia ipsius Jesu Christi secundum naturæ cursum futura, sed ut libera & extraordinaria Dei voluntate usurpanda tantùm ut esset materia illius: & hoc quidem ita factum, ut etiam constare possit omnibus ita à Deo fieri, quia eam in virgine fecundaverit supra naturæ vim & potestatem. — Unde in Adamo non aliter fuisse statuimus, nec ante quàm promissio Ada-

mo fieret gratiosa, cuius etiam promissionis vi exiit ex Adamo Christus, non vi naturæ primæ & benedictionis illi impressæ, crescite & multiplicamini. Unde jam concludimus Christum non obnoxium fuisse culpæ isti & crimini aut reatui, proinde Sanctum esse etiam si ex Adamo prodierit & c. Quæ non malè disputari patebit inferius, si quædam excipias, præsertim quòd de sanctificatione massæ virginæ uterque tacet, eandemque à causalitate immunitatis Christi hominis à peccato sine dubio exclusam cupit. Quam ob causam operæ pretium fuerit, Abrahamum Heidanum audire, qui in hoc doctrinæ genere Episcopii vestigia legit. Sic autem ille in Corpore Theologiæ Christianæ, Loco VII. de persona Christi mediatoris p. 527. *Quia Mediator ex numero redimendorum esse non debuit, nec eidem reatui subiectus, adeò nec eadem generationis lege, quâ ceteri homines, creatus, id est, vi verbi benedictionis, crescite & multiplicamini. Neque enim ut cresceret, & multiplicaretur genus humanum, datus est, sed ut servaret quod perierat. Sed vi promissionis, semen mulieris conteret caput serpentis. — Hinc intelligi datur, quare Christus, etsi verè carnem & sanguinem nostrum ex virgine Maria suscepit, tamen immunis fuerit à peccato. Quod non inde provenit, quòd Spiritus Sanctus Mariæ sanguinem & semen sanctificaverit, ut plerique id ita capiunt. Nam si sanctificatum est semen, fuit ergo natura sua vitiatum & contaminatum. At ille est sanctificator noster, Hebr. II, 11. Sanctificans & qui sanctificantur ex uno sunt. At quomodo ille Sanctificator noster, si ipse prius sanctificari debuit? Annon tum ipse rectè sanctificatus dicetur? Quod ex te nascetur Sanctum. Non dicit, quod ex te nascetur sanctificatum. Qui sanctificatur, peccator est naturà, sed ob sanctificationem desinit esse. Sed qui sanctificare omnes debuit, ab origine*

ne

ne Sanctus esse debuit. Quid ergo nonne sicut pueri parti-  
 cipes sunt carnis & sanguinis, ipse consimiliter eorum parti-  
 ceps est factus? Plane, sed non peccati. Non enim in substan-  
 tia carnis & sanguinis est peccatum, sed in mala voluntate.  
 Caro & sanguis sunt opus & factura Dei, sola voluntas est  
 peccati subiectum. Neque aliter membra nostra fiunt ar-  
 ma iniustitiae, nisi quando regnat peccatum in mortali cor-  
 pore nostro, ut obediamus peccato in cupiditatibus ejus. Ita-  
 que fiunt membra nostra arma iniustitiae, cum illa exhibe-  
 mus peccato. Id est, cum sistimus membra nostra serua im-  
 puritati, & iniquitati, ad parandam iniquitatem, Rom.  
 VI, 12. 13. 19. Ita Heidanus, cum Episcopio variè errans.  
 Nam & hic loco allegato, proximè ante verba, quæ jam  
 tum dedimus. Hinc facile videre est, inquit, qua ratione  
 responderi debeat objectioni isti communi quæ fieri solet à  
 quibusdam. Quæ natura ab Adamo peccatore derivata  
 est, illa sancta esse nequit: Ratio est; quia peccatum infecit  
 naturam, non personam. Respondemus enim: Malè subje-  
 ctum peccati statui carnem & sanguinem. Peccatum non  
 esse veluti morbum vitium & qualitatem aliquam physicam  
 inherentem substantiæ carnis, quæ elui & purgari physicè  
 possit aut debeat, sicuti est lepra, elephantiosis &c. sed vo-  
 luntatis aut anime tantum deordinationem ab objecto cui  
 debebat inherere: quæ aliquandiu confirmata habitus qui-  
 dem fit, sed non carnis aut sanguinis, sed spiritus. Quam  
 enim maculam dabit omisio, quæ est negatio actionis & ni-  
 bil positivum dicit? quomodo actio, ut actio, à voluntate ut  
 causa sua & principio producta inficiet voluntatem? Aut si  
 statuatur tale quid esse peccatum aut maculam talem acci-  
 dentalcm, facile fieri potuisse ut ab illa Spiritus Sanctus pur-  
 garet carnem & sanguinem illum, quæ materia Jesu Christi  
 esset futura, atque ita substantia tantum participaretur,



non qualitas, imprimis communis & planè substantia acci-  
dentalis. At verò hoc nondum exhaurit difficultatem.

VI. Sed his dimissis ad Gisbertum Voëtium redeo.  
Quem tam diligenter secutus est Johannes Hoornbeeckius,  
ut penè eadem scripsisse videatur, Libro secundo Miscella-  
neorum Sacrorum, Capite XIV, p. 122. 123. Illius quia da-  
tà operâ omisimus, hujus verba magis succincta ac valde  
perspicua producemus. In Adamo quia duo nunc conside-  
randa, natura & fœdus, seu pactum illud Dei, quod cum  
eo, qui totam naturam in se radicaliter continebat, & fœ-  
deraliter representabat, initum; illud enim, si sic Deo visum,  
potuisset esse absque isto; Adamus habendus ut caput humani  
generis naturale primum, tum & morale: Illud, quia stirps  
totius naturæ fuit, fundatur in natura ipsius; hoc, non in  
natura fundatum, sed beneplacito & arbitrio divino, seu  
lege ejus positiva comprehendit omnes quoque homines, uno  
excepto Christo, qui in Adamo quidem fuit ut capite natura-  
li, habens ex Adamo, per Abrahamum, Davidem, Mariam,  
veram hominis naturam, unde & filius Adami dicitur, Luc.  
III, ult. non autem in Adamo, tanquam capite morali, seu  
illo fœdere & pacto, quod Deus cum Adamo pepigit ejusque  
posteritate, de ejus obedientia & statu hinc pendente omnium  
hominum, felici eternum vel infelici, censitus. Nam nec pro  
Christo stetit Adamus, neque lapsus fuit, neque Christo cum  
Adamo aliquid in morali vel fœderali ratione commune, so-  
lum cum naturali, quia Christus fœderis respectu oppositus  
& alius Adamus, alterius fœderis caput fuit & fundamen-  
tum. Unde commodissimè explicatur, quare cum omnes in  
& ab Adamo homines ejus peccati rei sint, Christus tamen  
qui quoque naturam eandem trahit ab Adamo, ejus reatus  
aut peccati non participet. Videlicet in promptu est respon-  
sio, quia Christus in Adamo fuit ut capite generis naturali,

non



non morali; naturam cum eo communem habens, non fœdus  
illud. Nam dicere purgatam massam fuisse, ex qua sumtum  
Christi corpus, rem non expedit; sed involvit magis. Neq̃  
sufficit respondere, quod non ordinaria & carnali via Chri-  
stus ab Adamo venit: quia generatio, vel ejus, ut dictum,  
modus non est efficiens peccati causa, solum argumentum &  
signum, esse quem Adami filium, & proinde ejusdem culpa,  
qua omnibus ejus filiis in eo confœderatis imputatur ac com-  
munis est, reum; concurrens quidem ad subjectum peccati,  
non autem hoc effectivè sua vi, vel naturâ conferens. Et  
sic in Christo, non communis generatio, sed extraordinaria  
signum fuit, quod non omni modo filius Adami esset, sed ali-  
qua ratione ex Adamo, quoad naturam videlicet illam, qua  
fratribus suis similis factus est per omnia Hebr. II, 17. alia  
autem ratione ab Adamo diversissimum esse, nimirum quod  
Sanctus ex Maria gigneretur, & Dei Filius Luc. I, 35. id est,  
cui cum Adami moralitate & obedientia, staret an non, pro  
se nihil rei erat. Atque hæc est causa propria & formalis,  
quod Christus à peccato illo naturæ in Adamo, in quo tamen  
naturæ ejus fuit, ut homo est, fuerit immunis: uti ex adverso  
nos rei, quod in Adamo non solum naturaliter, sed & fœdera-  
liter, in fœdere operum illo, quo tota in eo capitulata naturâ  
humana, solo Christo excepto, fuit, juncti spectatiq̃ fuimus.  
Christus ergo, quamvis verus etiam ex Adamo homo, non ta-  
men peccati communis particeps habendus est, ex supernatu-  
rali ejus conceptione & nativitate, tanquam argumento id  
probante, sed tanquam causa vera, & propria, primâq̃, quod  
in fœdere Adami, non sicuti ceteri homines, adscriptus  
fuit.

VII. Nos inter identitatem naturarum nostræ &  
Christi specificam, itemq̃ve similitudinem nostri & Chri-  
sti, quoad infirmitates naturales & inculpabiles, quam faci-  
le

le largimur; & æqualitatem ortus nostri & Christi, quam  
admittere non possumus, ante omnia distingvendum esse  
putamus. Secuti Leonem, qui Serm. II. de Nativ. *Ori-  
go, inquit, dissimilis, sed Natura consimilis. Si veritatem  
quæris, humana natura cognosce materiam. Si rationem  
scrutaris originis, virtutem confitere divinam.* Neque ve-  
rò à quacunque convenientia materiæ, actuumque ortus,  
ad hujus æqualitatem rectè concluditur. Ut nos ex sangvi-  
ne & substantia parentum nostrorum orti sumus; sic  
Christus ex sanguine & substantia Mariæ virginis veram  
carnem assumpsit. Iisdemque actibus, quibus nos subjecti  
sumus in ortu nostro, conceptionis & nativitatis, in suo  
ortu, sese pariter subjecit. Et tamen inter ortum ejus, &  
nostros ortus, plurimum interest. Quando nos procrea-  
mur, ambo parentes naturali virtute generant: sed in ortu  
Christi Spiritus Sanctus Mariam virginem admirabili mo-  
do foecundavit. Materia generationis in ortu nostro est  
nobilior sanguis, vel semen utriusque parentis legitimè  
commixtum: In ortu Christi fuit solius Mariæ sanguis, vel  
semen, accepta à Spiritu Sancto facultate, ad concipien-  
dum foetum, absque virili semine admixto. Nos ex im-  
mundo & peccaminoso semine concipimur, Psalm. LI, 7.  
Job. XIV, 4: Christus autem conceptus est ex sanguine  
Mariæ, à Spiritu Sancto purificato mundatoque ab omni  
labe peccati. Itaque nos etiam caro de carne concipimur,  
& nascimur, Joh. III, 6: Christus autem de Spiritu Sancto  
conceptus natusque sanctus est, Luc. I, 35. absque omni  
peccato & fomite ejus, Hebr. IV, 15. &c. Cæterum massa  
sanguinea Mariæ virginis consideratur, vel antequam di-  
sponeretur à Spiritu Sancto, in materiam generationis  
Christi hominis; vel postquam disposita in illam mate-  
riam, ipsaque materia generationis fuit. Priori modo spe-  
cta-

statam, massæ corruptæ Adamicæ particulam fuisse conce-  
dimus. Idem verò altera considerandi ratione negamus.  
Quia Spiritus Sanctus eam disponens in materiam genera-  
tionis Christi, ab ea corruptionem ex Adamo abstulit, &  
venenum peccati absterfit, eandemqve adeò purificavit an-  
te, quàm evaderet materia & generationis Christi, & forma-  
tionis membrorum corporis Christi. De qua re, more  
suo, accuratè atqve perspicuè Lutherus noster, Commen-  
tar. in Genes. XXXIIX, fol. 522. *Disputant Doctores Schola-  
stici, utrum natus sit ex carne peccatrice, an munda? An  
servaverit Deus à condito mundo aliquam puram guttulam  
carnis, ex qua Christus nasceretur? Respondeo ergo, Chri-  
stum verè natum esse ex vera & naturali carne, & sanguine  
humano, qui corruptus fuit originali peccato in Adam, sed  
sic ut posset sanari. Sicut nos credimus & speramus, qui  
sumus circumdati carne peccati, futurum ut in die redemptio-  
nis nostræ ea purgetur, & separetur ab omnibus infirmitati-  
bus, morte & ignominia, sunt enim peccatum & mors mala  
separabilia. Itaque cum ventum fuit ad virginem, vel gut-  
tam illam sanguinis virginalis, impletum est, quod dixit An-  
gelus: Spiritus Sanctus veniet super te, & obumbrabit tibi.  
Non quidem natus est Messias virtute carnis & sanguinis,  
sicut Johannis I. dicitur: Non ex sanguinibus, neque ex vo-  
luntate viri &c. Sed tamen ex massa carnis, & ex isto san-  
guine corrupto voluit nasci. In illo autem puncto conceptio-  
nis virginalis Spiritus Sanctus purgavit & sanctificavit  
massam peccati, & exterpsit venenum Diaboli & mortis, quod  
est peccatum. Et mansit mors in ea carne, propter nos, ta-  
men fermentum peccati expurgatum est, & facta est puris-  
sima caro per Spiritum Sanctum purificata, & unita cum  
divina natura in una persona. Est igitur verè natura hu-  
mana non alia quàm in nobis. Et Christus est filius Adæ,*  
C

*Et de semine Et carne ejus, sed ut dictum est, Spiritu Sancto obumbrante, operante Et purgante, ut apta esset ad hanc conceptionem innocentissimam, Et mundam ac sanctam nativitatem, qua nos purgaremur, Et liberaremur à peccato.* Vides, etiam ex sententia Lutheri, Spiritum Sanctum ante purgavisse massam virgineam, quàm fieret materia generationis Christi; imò antequam conciperetur Christus homo, ad minimum quoad naturæ ordinem. Quod ex antecedente sequitur. Quia in materia generationis non potest fieri conceptio, nisi materia generationis adsit, ac supponatur. Quæcum ita sint, falsissimum est, Christum hominem fuisse massæ corruptæ Adamicæ particulam. Etsi enim Christus homo, ut totum essentiale, in generatione inchoata, fuit ipsa sua materia generationis quoad rem: tamen quia hæc jam ante, quàm evaderet materia generationis, inciperetque esse totum essentiale Christi in generatione ejus inchoata per conceptionem, munda fuerat à corruptione atque peccato per Spiritum Sanctum, non potuit fuisse Christus particula massæ corruptæ Adamicæ.

**IIIX.** Porro Filius Dei naturam humanam minimè assumpturus erat, si homo non fuisset in peccata prolapsus. Quod contra Scholasticos, aliosque doctores alibi disputatur, ac obtinetur. Quo posito intelligitur, decretum Dei æternum, de missione & incarnatione Filii, præsupponere prævisionem lapsus Adamici: nec adeò absolutum esse simpliciter, sed ad conditionem lapsus determinatum. Deus autem præviso lapsu, Filium incarnandum ordinans humano generi Redemptorem, facilè perspexit decere, ut Filius etiam homo pius esset, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: ne ei necesse esset, pro peccatis propriis offerre, contra naturam Sacerdotalis officii in No-

vo Testamento, Hebr. VII, 26. 27. Imò ne fieri quidem  
posse, ut lux & tenebrae in Θεανθρωπία concurrerent, 2. Cor.  
VI, 14. non dissimulante Voëtio. Quare id ita executus est in  
tempore, per conceptionem Christi hominis de Spiritu San-  
cto. Quodque in tempore executus est, id & fieri voluit,  
futurumque praevidebat ab aeterno. Et totum negotium sal-  
utis nostrae disposuit quidem per meram gratiam suam,  
nullo nostro merito, & pro sapientissimo liberrimae vo-  
luntatis suae beneplacito: nequaquam verò absolutam qua-  
dam gratiam, absolutoque beneplacito impeccabilitatem in-  
vas humanitatis Christi effudit, aut effundere voluit. Ta-  
met si enim in Christo homine futuro nullum meritum  
praevideret, ob quod immunem praestaret ab omni pecca-  
to; imò ne futurum quidem perspiceret, antequam eum  
lapso generi humano Mediatorem destinavisset: tamen  
ordinando praevidebat τὸ πρῆτον, ipsamque Christi hominis  
futuri ἀναμαρτυρίαν inhæsitivam. Neque Deus aeterno ab-  
solutoque decreto, sed juxta aeternum, & ad praevisionem  
lapsus determinatum decretum, in plenitudine temporis  
partem, non massae corruptae Adamicae, sed purificatam à  
corruptione, à reliqua perditaque massa discrevit, ad conce-  
ptionem Christi, eandemque non demum inde à prima  
conceptione, sed jam ante conceptionem sanctificavit.  
Quae quidem omnia Drentanis Theologis rectè opponi,  
res ipsa docet.

IX. Jam quid Voëtio & Hoornbeekio respondendum  
sit, investigabimus, ac proponemus. Quod ut ordine fiat,  
ad protevangelium animi nostri reflectenda cogitatio est.  
Quemadmodum enim Christus non erat venturus, si ste-  
tisset homo, praeviso lapsu demum destinatus ab aeterno  
Redemptor: ita in tempore etiam, post lapsum demum,  
ex singulari dispensatione Dei, & gratiosissima ὀικονομία cir-

ea recuperandam salutem generis humani, in peccata pro-  
lapsi, promissus est mundi Salvator, mulierisqve semen,  
Gen. III, 15. Hinc quando Deus ante lapsum foedus legale  
cum Adamo pepigit, de non comedendo fructu arboris  
scientiae boni & mali, & sub hoc ipso praeepto, de obtinen-  
da vita aeterna, per observationem legis; non potuit lex  
ista in Adamo semini quoque mulieris, hoc est, Christo  
fuisse praescripta, utpote post lapsum promisso demum,  
futuroque legis Domino, & Dei Filio naturali, atque haer-  
edi cum aliorum bonorum Dei Patris, tum vitae gloriaeque  
aeternae, Matth. XII, 8. Rom. IX, 17. Quare nec cum Ada-  
mus legem transgrederetur, eam in Adamo transgredi  
Christus potuit. In lumbis Adami Christus fuit, non cum  
Adamo lex praescriberetur, neque cum Adamus legem  
transgrederetur; sed inde a promissione Evangelica, ho-  
minibus post lapsum facta. Ideoque non vi seminis Ada-  
mi, ex benedictione divina foecundi, ante lapsum Gen. I,  
28; sed virtute Dei promittentis post lapsum. Descendit  
ex Adamo Christus, non seminali & naturali propagatio-  
ne; sed foederali promissione, & supernaturali ἐπελεύσει  
Spiritus Sancti. Promissio enim foederalis protoplastis  
post lapsum facta est de semine mulieris solius, semini ma-  
ris opposito, contrituro caput serpentis, Gen. cit. Quod  
semen supra naturam propagationis humanae, citra com-  
mixtionem cum semine masculino nasci debuit, ex mi-  
raculosa ἐπελεύσει Spiritus Sancti Luc. I, 34. 35. Ut paucis  
multa complectar, fuit Christus in lumbis Adami, & ex  
Adamo descendit, ratione σοίας, non ὑποτάξεως sub lege,  
nedum παραβάσεως legis, & ἀραγίας. Non vi benedictio-  
nis, protoplastis a Deo ante lapsum concessae, & naturali  
propagatione; sed vi promissionis divinae post lapsum, &  
miraculosa Spiritus Sancti operatione, ex singulari & gra-  
tiosissima Dei dispensatione.

X. Quo

X. Quo sensu concedimus Voëtio, ipsiqve dicimus  
Christum in Adamo fuisse originaliter & radicaliter, tan-  
quam in communi principio, & radice omnium homi-  
num, etiam Christi hominis, ex dispensatione divina pro-  
missi. A vocibus autem naturaliter & seminaliter absti-  
nemus, ne pro essentia vel materia sumtæ imponant incau-  
tis, in apprehensione modi, qvi neqve seminalis, neqve  
naturalis fuit. Concedimus etiam, & ipsi dicimus, Chri-  
stum non fuisse in Adamo foederaliter: sed distingvendo  
foedus legale ante lapsum, ab Evangelico, post lapsum san-  
cito, & intelligendo prius cum Voëtio. Aliàs modò di-  
ximus, qvòd Christus foederali promissione ex Adamo de-  
scenderit, & vi promissionis Evangelicæ in lumbis ejus ex-  
titerit. Concedimus deniqve, reliqvos homines, præter  
Christum omnes, etiam in Adamo foederaliter fuisse, & in  
Adamo, transgressore legis divinæ, omnes peccavisse, o-  
mnesqve labem originalem, cum actualibus peccatis, ex  
Adamo traxisse. Rom. V, 12. Negamus autem, unicum fun-  
damentum nostræ inclusionis, & reputationis foederalis in  
Adamo fuisse absolutum Dei beneplacitum. Quia inclu-  
debamur ut posterì, naturali generatione ex Adamo de-  
scensuri. Negamus absolutum Dei beneplacitum fuisse,  
ut Christus homo non esset in Adamo foederaliter. Quia  
Christus post lapsum demum promissus, futurusqve Do-  
minus legis non potuit fuisse in Adamo foederaliter. Præ-  
terea foedus Dei legale paradisiacum, idqve solum, malè  
constituitur causa principalis & adæqvata propagationis  
peccati originalis: quasi reliqvi homines ideò peccato o-  
riginis infecti sint, qvia foederaliter in Adamo fuerunt;  
Christus autem à peccato originali & actuali immunis,  
qvòd in Adamo non fuit foederaliter, absoluto Dei bene-  
placito. Nam ut homines integri integros absqve institu-

to foederali Dei, contradistincto & opposito naturali & seminali instituto, generaturi erant naturaliter & seminaliter: ita lapsi peccato infectos non ex necessitate foederali, sed naturali & seminali generant. Joh. III, 6.

XI. Falsum itaque est, omnes homines, qui in Adamo tantum fuerint naturaliter & originaliter, nascituros fuisse absque labe originis. Quis enim dabit mundum de immundo? Job. XIV, 4. Quare licet Deus cum Adamo non sancivisset foedus legale, tamen ille, admissio quovis alio peccandi actu evertens statum felicitatis suae, miseriamque attrahens, non impediendo Deo ad impediendum minime obstricto, immundus ipse, non nisi immundos generaturus erat. Multo vero falsissimum est, hominem extraordinarie a Deo productum, immunem praestari a labe originali non posse, nisi qui in Adamo non fuerit foederaliter. Annon enim electi in vita aeterna immunes erunt a labe originali, etiamsi omnes in Adamo foederaliter fuerint? quos non produxit Deus extraordinarie, sed ordinarie regenuit, ac renovavit. Quod si igitur renovati homines immunes praestari possunt a labe originis, licet in foedere cum Adamo inito fuerint; quanto magis noviter & extraordinarie producti a Deo, ut ut certa ratione in Adamo foederaliter extiterint: Deo propagationem labe extra ordinem impediendo, & massam seminalem, pro sua potentia absoluta, foetumque in primo existentiae momento emundante ac sanctificante. Ad extremum *Αναμαρτυρία* & sanctitas Christi hominis inhæsiva, ut est effectus positivus, sic causam principalem habere nequit merè negantem istam, quod Christus non fuit in Adamo foederaliter: sed positivam quoque causam necessariò postulat. Quam hanc esse dicimus, quia Christus ex sapientissimo Dei consilio, & vi promissionis divinae, sanctus conceptus est



est ex Spiritu Sancto. Conceptio igitur de Spiritu Sancto, supponens & includens æternum Dei, sed ordinatum consilium, & promissionem Evangelicam, omninò causa adæqvata sanctitatis Christi est, primam radicem immunitatis à peccato complexa: non conditio tantùm subordinata, aut medium; nedum conjuncta solùm cum eventu, effectuve, quod opinatur Voëtius.

XII. Firmamentum ac robur totius sententiæ nostræ est, quòd Angelus Gabriel, à Deo missus, dixit Mariæ virgini: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, Luc. I, 35. Quæstio erat de conceptione, & partu valde admirabili. Nam Angelus prædixerat fore, ut conciperet Maria virgo in utero, filiumq; pareret, & nomen ejus vocatura esset Jesum, vers. 31. Maria verbo quidem Dei fidem habens, v. 45. sed non intelligens, quo pacto res facultatem habitura esset, ut neque cognoscens, nec cognitura virum, maritali officio, conciperet foetum, pareretq; filium Salvatorem populi sui à peccatis suis Matth. I, 21. ideoq; expertem peccati, Hebr. VII. 26. Filium Altissimi, & Regem sempiternum, cupiditateq; sciendi quærens, ecquomodo id futurum esset v. 32. 33. 34; hoc responsi tulit ab Angelo, quod diximus: Spiritus Sanctus superveniet in te &c. Quâ oratione explicatur utrumq; quomodo & conceptura, & in lucem editura filium undiquaque sanctum, & hic exiturus esset Filius Altissimi. Istud quidem per ἐπέλευσιν Spiritus Sancti; hoc per ἐπίσκιασµὸν virtutis Altissimi. Posterius ad alium locum pertinet. Ad prius autem intelligendum, observamus τὸ ἅγιον, foetum Mariæ virginis, neutro genere positum. Quo sine dubio Christi divinitas indicatur præcipuè, secundum quam essentialiter sanctus est, Dan. IX, 24. sed tamen

men etiam ad humanitatem respicitur. Quia quâ Deitate natus jam ab æterno Filius Dei erat: Angelus autem dicit, etiam hominem, Filiumq; Mariæ, natum in tempore, vocatum iri Dei Filium. Fuit igitur etiam quâ humanitatem sanctus. Non tantum communicatâ sanctitate infinitâ, quam virtus Altissimi, hoc est, Filius Dei communicavit assumptæ carni suæ personaliter; sed etiam inhæsiuâ, atque habituali. Sine qua Sanctum absolutè vocari non potuit, quod nasci ex Maria virgine debuit. Finge enim labe fuisse infectum originali, quomodo Sanctum absolutè, & undiquaque fuisset?

XIII. Sicuti Sanctum, quod nasci debuit, consequenter Filius Dei futurum & appellandum erat, quod Virtus Altissimi obumbravit Mariæ virgini: ita ratione humanitatis sanctum inhæsiua sanctitate fuit causaliter, per *ἐπελευσιν* Spiritus Sancti, massam virgineam sanctificantis. Primum quidem Spiritus Sanctus superveniens, humanitatem Christi singulariter, & miraculosè operaturus, actione creatrice, atque immediata Mariæ virgini facultatem tribuit, sine virili semine, præter ordinem naturæ, concipiendi foetum. Nam sicut in prima rerum creatione incubuit aquis, omnipotenti virtute sua eas foecundans, ut pisces & aves, magna varietate, ac numero proferrent, cum ad producenda animantia per sese, ac naturâ suâ minimè valuissent, Gen. I, 2. 20. 21: ita creaturus in terra rem novam, & inauditam, ut foemina circumdaret Virum, Jer. XXXI, 22. virgoq; conciperet, ac pareret filium, cui nomen esset Immanuelis, Es. VII, 14. in ipsam virginem benedictam tantum virium contulit, ut concipiendi, pariendiq; officio, absque omni consuetudine cum viro, sola posset defungi. Deinde cum semen esse mulieris deberet Christus, ex prima Dei promissione, Genes. III, 15.

no-

nobiliorem sanguinem Mariæ à sanguinibus reliquis se-  
gregavit Spiritus Sanctus, segregarumque mundavit à ve-  
neno peccati, ut το γεννώμενον ex Maria virgine, esset το άγιον.  
Eqvidem Spiritu Sancto hoc agente, idem quoque egisse  
credendus est, & Pater, & Filius, ob identitatem essentia,  
virtutisque operandi apud creaturas. Vendicat tamen  
Scriptura sacra hoc opus divinum Spiritui Sancto, pecu-  
liari ratione. Non solum propter ordinem personalem  
in divinitate, modumque agendi distinctum, Deo Patre  
per Filium, in Spiritu Sancto, unâ eademque immedia-  
tione, ut loquuntur Scholastici, & virtutis, & suppositi  
omnia operante; sed etiam quia Spiritui Sancto placuit,  
sanctificando sese præcipuè patefacere hominibus, ac re-  
velare. 2. Thess. II, 13. 1. Petr. I, 2. Si quia Spiritus Sanctus  
in nobis habitat, Deus mortalia corpora nostra vivifica-  
bit, ut seminata in corruptione, in ignominia, in infirmi-  
tate, ac animalia denique, resurgant in incorruptibilitate,  
in gloria, in potentia, & ad ultimum spiritualia; multò mi-  
nus dubitari potest, carnem Christi, repurgatâ massâ vir-  
ginea, sanctitarem suam inhærentem Spiritui Sancto de-  
bere, efficienti sanctum semen. Es. VI, 13. Effecit autem  
ita Spiritus Sanctus, ut ex anima Mariæ virginis, anima  
Christi, in & cum purificato sanguine nobilissimo, semi-  
nalive principio, sive materia, absque hac operatione di-  
vina, naturaliter, ex solius Mariæ anima, minimè propa-  
gabilis, traduceretur, mediateque adeò derivaretur ex ani-  
ma Adami, per Christum redimenda. Corpus denique  
Christi sanctissimum, animæ habitaculum, in utero inte-  
meratæ Virginis, ordinario conceptionis organo Spiritus  
Sanctus superveniens pulcherrimè effigiavit, elabora-  
vitque.

XIV. Quæ ex Heidano supra attulimus, contra hanc

D

sen-

sententiam disputante, tam jejuna sunt, atque insipida, ut me fermè tædeat, ea repetere ac confutare. Si sanctificatum est semen, inquit, fuit ergo naturâ suâ vitiatum & contaminatum. Quasi verò id omne oporteret fuisse contaminatum naturâ suâ, quod est sanctificatum. Sanctificatus à Deo est dies septimus, Gen. II, 3. Sanctificati sunt angeli boni, cum in sanctitate concreata confirmarentur. Sanctificandi erant homines integri, accessione donorum. Num igitur dies septimus naturâ suâ vitiatum fuit? Num sancti angeli, hominesque primi à conditore justis sanctisque creati, naturâ suâ contaminati fuerunt? Ipsum Dei verbum semen est, 1. Petr. I, 23. sine dubio sanctificatum, cum constitueretur medium regenerationis atque salutis nostræ. Quis verò dicat, suâ naturâ vitiatum fuisse, ac contaminatum? Sed, quid velit, intelligo. Sanctificatum appellat, quod est ab iniquitate naturali purgatum. Cur autem negat, sanguinem, semenque Mariæ, de quo expressis verbis loquitur, esse sanctificatum? Quia sequeretur, naturâ suâ vitiatum contaminatumque fuisse. Imò fuit. Quid autem inde incommodi? Sanctificator ille noster est, inquit. At quomodo esset, si ipse prius sanctificari debuit? Annon tum ipse rectè sanctificatus diceretur? O stupiditatem hominis! qui inter massam virginis corruptam peccatoque naturaliter infectam, & foetum ex massa mundata atque eluta formatum nesciat distingvere. Neque enim Pontificiis eum doctoribus favere credo, qui ut carnis à Verbo susceptæ integritatem, & expertem omnis maculæ munditiam in expedito habeant, necesse putant, eam ab stirpe ipsa, & origine repetere, materna videlicet carne: quam ideo originali penitus labe caruisse contendunt, ne si cum peccato concepta, eoque semel inquinata fuisse dicatur, quamvis postea purgata

gata sit, nihilominus peccatrix, & peccati caro censenda  
veniat: tanquam veneno hoc afflata semel, imbutaque ca-  
ro perfectè consanescere nequeat, & pestis in ipsam Chri-  
sti carnem redundet. Quorum opinionem refellit ac ex-  
plicat Dionysius Petavius, parte altera Tomi quarti Theo-  
log. Dogmatum, de Incarnat. Lib. XI. Cap. XII. N. III. &  
IV. f. 130. 131. Massa sanctificari virginea debuit, quòd vi-  
tiata esset atque contaminata peccato: non Christus ho-  
mo de Spiritu Sancto conceptus, vel foetus ex massa à Spi-  
ritu Sancto perfectè mundata elutaque formatus.

XV. Quid verò si Christum quoque sanctificatum  
asseramus? Nonne sic de se Christus ipse ad Judæos? Quem  
Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis me bla-  
sphemare: quia dixerim Filius Dei sum? Joh. X, 36. Quan-  
quam enim non sum ignarus, varias esse hujus dicti ex-  
positiones: tamen quamcunque amplectaris, rectè sequi-  
tur: Si Deus Pater sanctificavit Christum Filium suum,  
hic sanctificatus ab illo est. Dicat jam Heidanus, qui  
sanctificatur, peccator est naturâ, sed ob sanctificationem  
desinit esse. Augustinum habebit adversarium, cujus hæc  
instantia est, Tractat. 48. in Johannem: *Si quod sanctifica-  
tur, ante non erat sanctum, quomodo dicimus Deo Patri, san-  
ctificetur nomen tuum?* Sanctus ab Origine Christus etiam  
humanitate fuit. Et tamen sanctificatus quoque eadem  
humanitate rectè dicitur. Non quòd peccator naturâ fue-  
rit, aliquando mundatus à peccato. Sed quia Spiritus San-  
ctus humanitatem ejus ob origine immunem à peccato,  
sanctamque præstitit. Nihil de unctione Christi hominis  
præ confortibus, nihil de incrementis donorum habitua-  
rum dicam, quibus sanctificatio ejus ita firmatur, ut nihilo-  
minus integer ac sanctus semper extiterit. Valde igitur  
exigua Heidani subtilitas est, quando ab Angelo non dici

observat, sanctificatum, sed sanctum, quod ex te nascetur,  
Filius Dei vocabitur. Nam sive sanctum dicas, sive sancti-  
ficatum, verissimum manet, quod docemus, massam san-  
gvineam Mariæ virginis sanctificatam, & Christum homi-  
nem à peccato immanem esse, per conceptionem mira-  
culosam de Spiritu Sancto. Error autem crassissimus est,  
quod cum Episcopo somniat Heidanus, peccatum non in  
substantia carnis & sanguinis nostri esse, sed tantum in ma-  
la voluntate nostra. Eatemur equidem animam hominis,  
non quâ voluntatem solam, sed cum omnibus facultatibus  
suis Gen. VI, 5. IIX, 21. primarium esse peccati subjectum.  
Sed ab anima tamen in corpus etiam derivatur vitium, non  
tantum quoad externa membra, in quibus pravam inclina-  
tionem, inordinatosq; motus deprehendimus, sed & quoad  
partes interiores, quas ita pervadit, ut profundissime  
radicetur, neque suâ sede moveri, nisi per totalem homi-  
nis destructionem possit, cum anima separata à corpore  
est. Itaque Christus Salvator oculum & manum Matth.  
V, 29. 30. nec non pedem XII, 8. offendentem eruere, am-  
putare, atque abjicere jubet, ne totum corpus mittatur in  
ignem æternum. Quod contra quintum Præceptum  
Decalogi, de mutilatione membrorum minimè intelli-  
gendum est, sed de eorundem cohibitione, ne prava cupi-  
ditas prædominans æternum exitium afferat. In quam sen-  
tentiam renatos homines, quibus in ipsis etiam superat pec-  
catum originis, adhortatur Apostolus, ne illud regnare  
patiantur in mortali corpore suo, Rom. VI, 12. Dicitur  
autem regnare, quando obeditur concupiscentiæ peccan-  
di, quod ipse docet, additq; Apostolus. Quæ obedientia in  
eo consistit, non quod sollicitari se cupiditatibus peccati sen-  
tiunt homines, quod ne caveri quidem à renatis per omnia  
potest; sed quando se pravâ concupiscentiâ patiuntur adus-

ci, ad designanda peccata actualia externa. Quod si exhibeant peccato membra corporis, tanquam instrumenta, ad expediendum mandata & jussa, explendamque adeo omnem cupiditatem ejus; tum dominari dicitur peccatum, reductis in servitutum hominibus, haud secus, quam tyranni suos habent milites & servos, qui se sistere coguntur armatos, expeditosque ad jussa capessenda, cum volupe est. Itaque pergit Apostolus: *Neque accommodetis membra vestra, arma injustitiae peccato. Peccatum vobis non dominabitur. An nescitis quod cui accommodatis vos ipsos servos ad obediendum, ejus servi estis?* &c. v. 13. 14. 16.

Quod ita in corpore dominatur ac regnat peccatum, illud etiam in corpore est, saltem ut in subjecto secundario. Quod confirmatur ex Capite VII. Ubi peccatum in se, hoc est, in carne sua, habitare, seque videre legem peccati quae sit in membris suis, rebellantem legi mentis suae, eandemque una cum corpore peccaminoso, ipsa sibi morte molestiorem esse dicit Apostolus v. 17. 18. 20. 23. 24. Quis itaque stupor est, negare, quod peccatum in carne ac sanguine sit? Caro & sanguis quidem, physicè spectata, sunt opus & factura Dei: sed cui peccatum adjacet, Rom. VII, 21.

XVI. Hæc de exceptione Heidani dicta sint. Superest ut ad objecta Drentanorum respondeamus. Primum autem ab iis urgeri vidimus locum Hebr. II, 17. ex quo ita colligunt: Christus debuit per omnia fratribus similis reddi; igitur nobis quoad ortum æqualis fuit. Quæ verò ad concludendum planè inepta ratio est. Nam ex contextu constat, Apostolum hoc commate non de ortu naturæ assumendæ, sed assumptæ statu differere. Dixerat Filium Dei assumpsisse semen Abrahamæ, v. 16. Nunc similem debuisse fieri fratribus humanitate assumpta, inde colligit, per omnia, in humiliationis statu, excepto peccato, statumque il-

D 3

l m

lum tentatione designat v. 18. clariùs mentem suam expli-  
cans Cap. IV, 15 *Non habemus Pontificem, qui non possit af-  
fici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia  
juxta similitudinem absque peccato.* Num verò ad hoc, quòd  
Filius Dei humanitate assumtâ fratribus per omnia similis  
fieri, similiterve tentari debuit, eum nobis ortu æqualem  
fuisse consequitur? Primo ortu homo factus est. Quâ ratio-  
ne, hoc quidem commate non docet Apostolus, sed humi-  
lem statum Christi hominis requisitum proponit. A simili-  
tudine autem Christi hominis in statu humili, & fratrum  
tentatorum, ad æqualitatem ortus utrorumq; , nulla con-  
sequentia est. Deinde objiciunt Drentani, Christum fuis-  
se Semen mulieris, Gen. III, 15. & Semen Abrahæ, Gen.  
XXII, 18. ut obtineant fuisse particulam massæ corruptæ A-  
damicæ. Sed nihil obtinent. Non enim Christus fuit se-  
men mulieris & Abrahæ, antequam purgaretur, sed post-  
quam mundata massa esset à peccato. Particula igitur mas-  
sæ corruptæ Adamicæ nullo modo fuit. Quæ cum supe-  
riùs explanata legantur, diffuseq; tractata, non est neces-  
se, plura hoc loco dicere, fastidiosèq; repetere.

XVII. Ac poterat facilè concludi oratio, sicut eam  
constitueram finire. Quoniam autem chartæ spatium  
relictum esse video, aliquid addere malo, quàm nihil læ-  
gendum offerre. Præsertim cum & Altingius sibi aliquid  
excogitavisse videatur, quo possit efficere, Christum in  
Adamo peccante fuisse. *Christus, inquit, est filius Adami  
peccatoris Luc. III, 38. Et ex Adamo peccatore non minus ipse  
sanctificans, quàm alii sanctificati, ortum ducit Hebr. II, 11.  
Fuit igitur in Adamo peccante. Deinde Deus condidit in uno  
totum genus humanum, sicut post lapsum totum genus hu-  
manum ex uno propagavit Act. XVII, 26. Ergo etiam Chri-  
stum in ipso condidit. Nec obstat, quod in statu creationis*  
nub.



nulla erat Christi necessitas. Siquidem opus creationis in mente Dei destinabatur ad omnes eventus eam secutos, licet tum occulti essent in consilio ipsius Job. V, 17. Actor. XVII, 26. 27. Hæc Altingius, loco supra allegato, p. 572. Verum enim verò Christum esse Adami filium, & peccatoris quidem, apud Lucam non legimus. Quamquam autem æquè Adami, qui peccavit, atque Davidis filius dici potest: tamen non fuit in Adamo, quando & quatenus legem paradisiacam transgrediendo peccavit, sed ut supra audivimus, inde demum à promissione divina post lapsum, de Semine mulieris, contrituro caput serpentis. Nec alio sensu Christus ab Adamo peccatore ortum ducit. Præterea unum illum, ex quo & qui sanctificat, & qui sanctificantur, omnes sunt, Adamum esse, ab Altingio sumitur, non demonstratur. In Adamo quidem uno totum genus humanum condidit Deus, tanquam primo parente totius posteritatis, naturali propagatione ex illo descensura. Christum autem in Adamo nequaquam condidit, sed lapso gratiosissimè promisit. Denique opus creationis in mente Dei destinatum fuisse ad omnes eventus eam secutos, heterodoxa assertio est: non modò non fundata in locis adductis, quibus de rerum creaturarum conservatione & gubernatione agitur; sed etiam toti Scripturæ sacræ adversa, ideoque rejicienda ab omnibus, ac toto studio improbanda.

S. D. G.



... ac toto studio interpretanda  
... facta adverte, adeoque referenda ad omnem  
... & gubernatione agitur; sed etiam non despicitur  
... in locis adductis, quibus de rebus creatarum con-  
... in secundo, in Jerodotus aliter est; non modo non sunt  
... in rebus Dei destinata fuisse ad omnes eventus  
... sed sapio gratia hinc pronuntio. Denique opus est  
... Christum autem in Adamo non ad eam condidit  
... totius posteritatis, naturali propagatione ex illo descendit  
... genus humanum condidit Deus, tantummodo primo par-  
... ter, non demonstravit. In Adamo peccatum est totum  
... transierit, omnesque. Jam in eis, ab Adamo descen-  
... peccata non sunt illius, e quo & descendit, & qui san-  
... Nec alio tenore Christus ad Adamo peccator, etiam dicitur  
... plura, de semine matris, connumerat, eadem tenentur  
... judicantur, inde de rebus a promissione divina post se  
... genus paralyticorum transgrediendo peccavit, sed in suis  
... potest: tamen non sicut in Adamo, quando & peccatus se-  
... autem ad Adamo, qui peccavit, etiam David filius dicitur  
... totius dicitur, apud Lucam non legitur. Quod autem  
... in Adamo peccatum esse Adamo filium, & peccat-

S. D. G.




05 A 491

**ULB Halle**

3


004 207 947



W A







DISPUTATIO THEOLOGICA  
 INAUGURALIS  
*De*  
 DISSIMILITUDINE  
 VIRTUTIS NOSTRI ET  
 CHRISTI HOMINIS,  
*QUAM*  
 AUXILIANTE DEO OPT. MAX.  
*SUB PRÆSIDIO*  
 MICHAELIS WALTHERI  
 THEOL. DOCT. ET PROFESS.  
 PUBLICI,  
 OB SUPREMO IN THEOLOGIA GRADU  
 CAPESSENDO  
 AD DIEM VII. OCTOBR.  
 HORIS ANTE ET POMERIDIANIS,  
*PUBLICÈ TUEBITUR*  
 JOH. DAVID SCHWERTNERUS  
 LIPSIENSIS,  
 ECCLESIAE TORGAVIENSIS  
 ARCHIDIACONUS.

---

*WITTENBERGÆ,*  
 Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
 ANNO M DC XC.